

ATRIPLEX HORTENSIS: caule erecto,
herbaceo: foliis triangularibus.

Herba, & semina Atriplicis sativæ in officinis asservantur; venenata indoles seminibus tantum inest; quæ purgantia, & emetica valde sunt; herba enim oleracea est, & per id anni tempus, ubi folia Betæ nondum germinarunt, illis substitui afferit SPIELMANN.

Hanc ventriculum gravare, & exiguum alimentum præbere, GALENUS habet; illis maxime, qui alvum strictam habent, laudatur.

M I S C E L L A N E A E.

AGALLOCHUM: *Mat. Med.* 236. Aloës lignum in officinis habetur lactescens; medullum trunci amarissimum, venenatissimum, excorians, inebrians, anthelminthicum. Adveniunt ad nos sub hoc nomine frusta lignosa, variæ magnitudinis, & crassitiei, ponderosa, colore badio, aut nigro tincta, striis nigricantibus distincta, aut resinam nigricantem parum sapidam in sinibus quasi exesis vehentia; quo plus resinæ hæc frusta vehunt, quo magis ponderosa sunt, quo evidentius badia, vel nigra, eo reputantur meliora. SPIELMANNUS. De Arbore, unde lignum hoc desumitur, nihil certi constat. Cum lignum Aloës, uti nonnulli autumant, adeo diversum fit, facile patet, ratione ejus principiorum, etiam multum

Q 2 dif.

differre. De variis ligni hujus speciebus, qui plura desiderat, adeat *Pharmacologiam DALE. p. 379.* Tum *Hist. Plant. JOAN. RAJ.*

C R Y P T O G A M I A.

Secunda hæc generalis divisionis Sexualis plantarum Systematis pars, medietatem fere Vegetabilium continens, in quatuor prima Capita dividitur; quarum primum **FILICES**, secundum **MUSCOS**, tertium **ALGAS**, quartum **FUN-
GOS** complectitur.

Integra, quod vires adtinet, suspecta à **LINNAE**o habetur; qui totam Cryptogamiam, Vegetabilia sæpius suspecta continere, in *Dissert. sua de Viribus plantarum* §. 354. profert.

Et re ipsa vix ulli **FILICES** eduntur, sed occidunt vermes, male olen. **MUSCI** vix ulli esculenti sunt. *Hasselq. de Virib. Plant.*

FUNGI Romanorum deliciæ, Deorum cibi à **NERONE** appellati, **PLINIO** non absque causa anceps cibus. „ Familias enim ait (1) „ interimere, & tota convivia.... quæ vo- „ luntas tanta ancipitis cibi? „ De his itaque cum culinas intrent, & Magnatum apponantur mensis, pauca notanda censui.

FUN-

(1) L. 22. C. 23.